

Petrus de Vinea

*Ep. II 35 (Communem omnium
principum terrae letitiam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 35 (Communem omnium
principum terrae letitiam...)*

2 dicembre 1237, Cremona

Fridericus significat domino papae et cardinalibus uictoriam habitam de Mediolanensibus

1. Communem omnium principum terrae letitiam, sed matris Ecclesiae specialem, uestram ulterius latere notitiam non uolentes, quamquam, ut firmiter opinamur, insinuationis nostrae cursum celerior litteris fama preriperit, nichilominus ad uos imperiali programme uictoriosi processus nostri tripudium stilo deducimus certiori. 2. Sane quantae audaciae quantaeque temeritatis sint Ligurium excellentiae nostrae rebellium factiones ad proximos experientia detulit et loci uicinitas, ac inueteratae nequitiae fama pertulit ad remotos, nec latere uos credimus, nec mundus ignorat tam longae dissimulationis nostrae constantiam circa eos. 3. Ne, igitur, tolerantia nostra uerum patientiae nomen amitteret et uitiosae pusillanimitatis notam incurreret, pro decore uirtutis animaduertentes postmodum, quod ferro scindenda sunt uulnera, quae fomentorum non sentiunt medicinam, nec expectare uolentes, quod in fistulam totiens iam cicatrix obducta transiret, necessario nos ad arma conuertimus, manus ad fortiora misimus, et nostrum uibrauimus gladium, dormitionis Imperii somnum excitantes. 4. Et cum anno preterito, ueluti cuiusdam profunditatis uadum, ipsorum uires et animos temptassemus, experimento securi tenuimus propositum, firmauimus animum, dum desideratae nobis consummationis effectum principia bona promitterent et letitiae uespertinae fiduciam lucifer traderet matutinus, cum Germaniae retibus expeditis, quae pro magna parte furiosus ille iuuenis H., quondam dux Austriae, nostris processibus uerumptamen non impune parauerat, circa finem huius estatis Ytaliā duximus repetendam,

et cum usque ad fines Brixiae paulatim iam nostra uictoria continuata pertingeret, quae nostrorum fidelium sepibus undique circumsepta, tamen in Mediolanensi presidio, ueluti quodam foramine, respirabat. 5. Expugnantibus nobis uiriliter Montem Clarum et ibidem quampluribus Brixiensibus et plerisque maioribus captiuatis, tacta dolore cordis intrinsecus Brixia, uelut leena rugiens, dum dilacerari coram se filios respicit, quos tueri non potest, ad defensionem sui Mediolanenses eorum amicos et complices, in spe firmi subsidii, sed demum in penae consortium euocauit. 6. Post expugnationem uero castris predicti nostrorum rebellium omnium uiribus congregatis, dum nobiscum ad campestris belli discrimen trahi aliquatenus non ualerent, nolentes nos ipsos ulterius inutili mora consumere, ad remota loca diuertimus exercitibus commodis et bellorum aggressibus opportuna. 7. Et cum ipsi fugae digressum nostrum ascriberent et timori cautelam, propter quod, audaciae cornua assumentes, nos semper a latere sequebantur; interiecta uerumtamen difficultate locorum, tandem ipsos ad flumen Lolii caute deduximus, ubi, parato nostrorum transitu pontium, ipsi se ad habilitatem suorum, per quos Lolium transierant, remotos longi itineris spatiis inuenerunt. 8. Prius tamen quam nos opportunitate transitus Lolii potiremur, in quadam planitie prope ripam fluminis supradicti castra nostra defiximus, credentes eos in audacia iam concepta consistere, ut ad commune certamen, uadato quodam modico flumine nobis ad transitum propter ripas infesto, nobiscum pugnaturi transirent. 9. Et cum per dierum aliquot spatium quibus, imperialis clementiae memores, uerba pacis per..., magistrum domus Sanctae Mariae Theutonicorum

et alios uiros religiosos interposita patienter audiuiimus, ut ipsorum uerbosam audaciam prestolaremur ibidem, facta tamen eisdem per sollempnes nuntios nostros belli copia et facultate concessa, quod per uadum ad nos secure transirent, uel nos ad eos secure transire permetterent, cum ad uerum uentum est neutrum eligere uoluerunt. 10. Nichilominus etiam cum flumine Lolii supradicti sarcinarum nostrarum et curruum impedimenta traicerent, a mane usque ad uesperas agmine non digesto per acies et per buccinarum sonitus, quas audire poterant de uicino, ad bellum ipsos acuimus, sed quos surdos ad uerba reperimus, ad tubas inuenimus surdiores. 11. Flumine demum prefato per nos et nostros sine rebellium nostrorum infestatione traiecto, populis et militibus ciuitatum et maxima parte militum fidelium nostrorum ad propria redeuntibus, quos insperatae morae tedium et importunitas temporis retinere diutius non sinebant, cum expedita militia, iuxta ripas ex ista parte fluminis festini direximus gressus nostros ad pontes, per quos ipsi redeuntes ad propria transire debebant, et sic cum in cauernis terrae morari diutius ultra flumen, rerum necessariorum arcente penuria, non ualerent, Mediolanenses et socii, per Brixienses, qui domum redierant, contra legem sociatim expositi, per pontes et uada fluminis dum transire non possent, per cuiusdam stricturam nemoris exiuerunt, credentes se nobis per occultae fugae subsidium subripere, dum nos adeo prope consistere forsitan non putarent. 12. Sed cum in aduentu nostro terror et fremitus, tamquam de celo tonitruum, ipsis intonuit, ad premissas nostrae celsitudinis acies, priusquam aquilarum Imperii uictricia signa prospicerent, sic se in fugam subito conuerterunt, ut usque ad ipsorum Carrucium, quod apud

Curtem Nouam in equorum celeritate premiserant, nullus fugientium faciem nostrorum insequentium spectare ualeret. 13. Et dum auxiliares acies et post eas nos cum nostrorum agminum robore, gressibus festinatis, nostris, qui in leui manu precesserant, necessario cursu succurrere crederemus, et quos ab aduersariorum pugnantium uiribus timebamus arceri, equorum absque sessoribus cursitantium undique precipitatorum militum et occisorum stragibus stratas inuenimus impeditas, erectis tandem et ligatis in terra iacentibus qui uiuebant, per armigeros militum, qui suos dominos sequebantur. 14. Ad Carrucium, quod iuxta muros municipii Curtis Nouae, fossatorum uallis circumdatum et immensa militum copia preliantium impeditum, omnium mira defensione pugnantium munitum inuenimus, applicantes ad expugnationem et capturam ipsius, multorum innumerabilium militum strenuitate, perstitimus, adeo quod, superbi fossati supercilio superato, usque ad temonem fere Carrucii ex nostris aliquos uidimus peruenisse. 15. Superueniente tamen noctis umbrosa caligine, quam nostrorum [rebellium] uota longissima suspirabant, temptatum aggressum tantisper emisimus mane sequenti, distinctis tantummodo gladiis ad quietem, sed tunicis ferreis non exutis, ad indubitatam uictoriam Carrucii redituri. 16. Quod Carrucium, adueniente luce, inter alias milium curruum turmas desertum qualibet defensione reperimus, summitate perticae, ubi signum crucis extiterat, detruncata; quae crux etiam, dum uideretur ad fugam fugientibus onerosa, in medio extitit derelicta. 17. Castrum etiam Curtis Nouae, cuius munimine ipsos impetus nostros euadere credebamus, custodes et incolae reliquere, nec Potestas eorum, ducis Venetorum filius, quo duce

lugubria signa tulerunt, manus nostras euasit et, ut multa sub compendio concludamus, tum capti, tum mortui, inter quos multorum Mediolanensium factionis primates et principes corruerunt, decem milia fere numero computantur. 18. Non tamen ab antiqui draconis contritione propterea manus nostra desistet, quin tam diu caput eius ad Imperii lapidem allidamus, quamdiu caudam ipsius palpitare uidebimus, ex quo possit causa discidii posteris, uel etiam ceteris scandalum exoriri uel suboriri. 19. Super quibus omnibus, sanctissime pater, gratias uos et fratres uestros pro nobis exoluere domino Iesu Christo filiali deuotione rogamus, qui suum prosequendo negotium, sacrum Imperium uictoriose sublimat.